RECTOR
ACADEMIAE LIPSIENSIS
SACRA PASCHALIA

A. D. XXVII. M. MARTII A. R. S. cIↃIↃCCXCVI.

IN

AEDE PAVLINA

PIE ET RELIGIOSE CELEBRANDA

INDICIT

SPICILEGIVM XXII.

Autographorum, illustrantium rationem, quae intercessit Erasmo Roterodamo cum aulis et hominibus aeui sui praecipuis omnique republica.

IOANNIS BORSALI, [1])

primum Canonici Eccl. Collegiatae Middelburgensis, posthac electi quidem, sed ab Aula Caesarea reiecti Decani Middelburgensis, dein Decani Eccl. Colleg. Veriensis, tandem et Decani Eccl. Colleg. Zandenburgensis, etc. apud Batauos,

Epistolae quatuor, AA. 1522. et 1527. ad Erasmum datae, ex Autogr.

Quatuor huius Viri ad *Erasmum* epistolae exstant editae Tomo III. Opp. Erasmi, quae varia continent ad eius vitam pertinentia. In epistola *prima*, data *ex Middelburgo Zelandiae*, 20 April. A. 1514. (Append. ep. 6. p. 15 24. seqq.) „*Ego*, inquit, vt tibi scripsi ante annum, *Sacerdotium* „*habeo Middelburgi*, [2]) *Praebendam* videlicet *Canonicalem*, „quam vocant; eam mihi dedit, inaudita hoc saeculo bene„ficentia, *Philippus Hispanus* [3]) nihil merito, non ambienti,

 imo

1) De nomine eius vid. adnot. 5.

2) *Middelburg*, seu *Medioburgum*, hodie vrbs Belgii foederati, est metropolis et prima vrbs *Zeelandiae* provinciae, in Walchria insula.

3) De *Philippo Hispano* haec habet Borsalus p. 1526.

„Scis, non procul ab oppido *Roterodamo* arcem esse quandam, quae „vulgo dicitur *Spangen*, hanc alii „*Spangam*, alii *Hispaniam* vocamus; „inde ipse, et pater, caeterique „progenitores, nomen habent. „Gens ea est inter *Hollandicas* et ho„nesto loco semper habita, et anti„quitate, nedum nobilitate, memo„rabilis; hinc ille prognatus, et no„men fert Gentis, et quia natu „maximus, etiam potiorem haere„ditatis paternae partem obtinet. „Mater autem eius proximo sangui„nis vinculo iuncta *Domino Bergensi* „erat,

„imo ne cogitanti quidem, nedum non ſperanti.“ *In ſecunda*, inſcripta: *Ioannes Becar Borſalus Eraſmo*, et data *ex Areluno*, [4]) *oppido terrae Lucemburgenſis*, 4 Ianuar. A. 1515. (App. ep. 18. p. 1535. ſequ.) dicit auctor: „Primum itaque „ſignifico tibi, me, *relicta patria*, [5]) et amicis omnibus at„que cognatis, praeterea ſtudiorum ſociis, et plurimis pa„triae commoditatibus, ſuaſu ac iuſſu propemodum veteris „patroni mei, *Hieronymi Buſlidii*, [6]) in hanc terram *Lucem„burgenſem* veniſſe, vt nepotulum et ingenuos mores et lit„teras politiores doceam; viuoque cum illius pueri matre „*Areluni*, [7]) ac ſubinde *Lucemburgi*, [8]) (commutamus enim „ſedes interdum,) et viuo conditione honeſta in primis, et „quaeſtuoſa ſatis, ſed mihi nonnihil moleſta, quod extra „litteratorum conuentum, et ferme in ſolitudine, mihi nunc „viuendum eſt tantiſper, dum mittemur ad aliquod publi„cum

„erat, et illius fratribus, ſcis quos „dicam; nata videlicet ex gente „apud *Brabantos* nobiliſſima *Grim„bergenſium*, vnde et *Bergenſes* hi „fratres ſunt editi. Fratres hi *Ber„genſes* et *Philippi* mei Mater „erant, ſi recte memini, e duobus „fratribus geniti. Scis, qua com„mendatione fueris, atque ſis etiam „nunc, vt arbitror, apud illam fa„miliam, vnde etiam *Principi Veri„enſi* tuo contigit vxor.

4) *Arlon*, in Ducatu Luxenburgenſi.

5) Patria Borſali fuiſſe videtur *Bevelandia auſtralis*, Zeelandiae Batauorum inſula, cuius vrbs *Borſelen*, olim *Baronum liberorum ſeu Dynaſtarum* ſedes, anno 1532 mari merſa, hodie vna cum regione illa, a. 1616. aliquantum reſtituta, vocatur apud Batauos *dat Vertronckene Sudbeveland* Nomen *Borſali* fuit: *Ioannes Becar*, *Borſalus* a patria, forte et familia Borſalorum, dictus.

6) *Hieronymus Buſlidius* fuit Praepoſitus Arienſis et Conſiliarius Regis Catholici, primum *Ferdinandi Catholici*, dein nepotis eius, *Caroli*, poſthac Imperatoris, *Caroli V.* dicti. Inſtituit ille, anno 1517. mortuus, *Louanii* magnis impenſis *Collegium Trilingue Buſlidianum*, in quo publice tres docerentur linguae, Hebraica, Graeca et Latina. Vid. Spicil. IV. p. 6. 7.

7) Vid. adnot. 4.

8) Vrbs haec, quae nomen dedit Ducatui, vocatur *Luxemburg* et *Lützelburg*.

„eum gymnasium. Nondum enim mulieri persuaderi pot-„est, vt filiolum aetate adhuc tenera, vnicum defuncti ma-„riti solatium, a se ableget.“ *Tertia*, data *ex Arluno, oppido terrae Lutzenburch*, 21. Nouembr. A. 1515. (App. ep. 36. p. 1544. sequ.) nihil continet, quod sit memoratu dignum. *Quarta* denique inscribitur: *M. Ioannes Borsalus, Decanus Veriensis*, *Erasmo*, et data est *ex oppido* [9]) *Veriensi*, d. 28. Martii A. 1519. (Ep. 400. p. 424. sequ.) In hac Borsalus de se: „Adscriptus sum, inquit, non ita pridem in „*pastorum gregis Dominici* numerum, vt scis. — Nactus sum „*conditionem hanc ampliorem* aliquanto, et in specie *splendidio-„rem*, sed minus, quam velim, praesertim studiorum caussa, „liberam, nempe *aulicam*. Scis, patronam meam, *Annam* „*Borsalam*, [10]) ante menses tres vita defunctam, ei successisse „filium *Adolphum*, [11]) etc.“

BORSALVM nostrum saepius laudat *Erasmus* in epistolis editis. In ep. 281. ad Gerardum Nouiomagum 6. Dec. 1517. *candidissimum* vocat. Ad Philippum a Burgundia, Episcopum Traiectensem, ep. 219. Append. Louan. 12. Dec. 1517. p. 1649. „Est, inquit, in nostrae mensae contubernio, „praeter alios, *D. Ioannes Borsalus*, *Canonicus apud S. Pe-„trum*, *Middelburgi*, [12]) *vir notae* tum *integritatis*, tum *eru-„ditionis*. — Instituit nepotes Reuerendissimi *D. Francisci* „*Buslidii*, [13]) Episcopi *Bizontini*, piae memoriae.“ Ad Pe-

 trum

9) *Veere*, (Veria, Campoveria,) *Ter - Veere*, olim etiam *Kampveer* dicta, est vrbs *Zeelandiae* Batauorum, in Walchria insula.

10) E gente *Borsalorum*, conf. adnot. 5.

11) *Adolphum*, quem *Principem Verianum* vocat Erasmus, et Iacobi *Batti* alumnum. Conf. adnot. 20; et 36.

12) Vid. adnot. 2.

13) Fratris *Hieronymi Buslidii*, de quo vid. adnot. 6., et *Aegidii Buslidii*, Caroli V. Caesaris a Rationibus. Vid. Spicil. IV. p. 6.

trum Barbirium ep. 307. Louan. 6. Mart. 1518. p. 306. „Re-„linquam hic probos amicos, — *Joannem Borsalum, cui Lati-„nae linguae professio* [14]) *destinata* est. Ad Ioannem Robinum, Decanum Mechliniensem, ep. 276. Append. Louan. 26. Mart. 1518. p. 1677. „*Borsalus, cui Latinae professionis par-„tes destinastis*, eiusmodi vir est, vt *non sit optandus quisquam „alius.* Neque enim facile fuerit, vt omnes circumspicias, „vno in homine tantum *egregiarum dotium* reperire; *mores* „tam *integros purosque, eruditionem*, quae plus habeat in reces-„su, quam in fronte polliceatur, *ingenium ad quiduis docile*, „*memoriam mire tenacem*, ad haec *vitae consuetudinem nulli mo-„lestam.* — Tantum oro, ne illi fraudi sit, quod *Buslidia-„nae* familiae vetus, notusque et addictus sit, fueritque cliens. „Scis, fortunulas hominis esse minores, quam vt eum *Lo-„vanii* possint alere; vbi iam menses aliquot non sine dispen-„dio sedet, adeo vt cogatur de augenda alicunde fortuna „cogitare. Refert omnium nostrum, talem virum *Lovanii* „retineri, quo lumen illius latius luceat. — Retinebitur „autem, si — illi salarium designetur, illius virtutibus di-„gnum." In ep. 368. ad Petrum Aegidium A. 1518. (vbi nec locus, nec dies notatur,) dicit Erasmus: „Adest *Ioannes Borsalus*, huius Collegii [15]) contubernalis, conuictor omni-„um festiuissimus." Ad Martinum Dorpium ep. 323. Lo-„van. 14. Iul. 1518. p. 332. „*Borsalus* tuus, aut verius noster „amicus haud impurus, sincerus, candidus, deseruit nos, „designatus *Decanus Veriensis.* [16]) Prouincia, quam coepe-„rat, *Latine docendi*, [17]) mandata est *Barlando.*" Anno 1519. scripsit

14) *Louanii*, in Collegio Trilingui Buslidiano. Conf. adnot. 6.

15) Collegii, de quo dixi n. 14. et 6.

16) In vrbe *Veere*, de qua vid. adnot. 9.

17) Vid. adnot. 14.

ſcripſit Petrus *Aegidius* ad Eraſmum: (Ep. 436. Antuerp. 19. Iun. p. 462.) „*Borſalus Decanatum*, vt vocant,[18]) nactus eſt, „hac proficiſcens in *Zelandiam* nos inuiſit.“ *Eraſmus* autem ipſe, in ep. 451. ad Petrum Zutpenium Caſſiletanum, Antverp. 10. Aug. 1519. p. 484. de *Adolpho Principe*[19]) loquens: „*Is*, inquit, intelligens, quanti referat primam aetatem „*Principum* optimo viro formandam committi, *filiolum* ſuum „*Ioanni Borſalo* in gremium tradidit, viro, vt compendio „virtutes innumeras complectar, *Batti*[20]) mei ſimillimo.“ Denique in ep. 881. ad Maximilianum a Burgundia, Baſil. 23. Aug. 1527. p. 997. „*Ioannes Borſalus*, vir iuxta morum „integritate ac litteratura commendabilis.“

Duae ERASMI ad hunc virum editae ſunt epiſtolae, quarum altera, data *Louan.* die Paſch. 24. April. A. 1519., (vid. ep. 414. p. 434. ſequ.) inſcripta eſt: *Eraſmus Ioanni Borſalo ſuo;* altera vero, *Baſil.* 24. Aug. A. 1527. (ep. 883. p. 1007.) *Ioanni Borſalo*, *Decano Zandeburgenſi.*

Quatuor nunc tandem ex Autogr. emittimus IOANNIS BORSALI ad *Eraſmum* epiſtolas, nondum editas. In *prima*, ſcripta *Louanii*, d. 9. *Decembris* A. 1522., (v. Index h. a. n. 9.) loquitur auctor de *ſe* et *ſuis rebus*, in primis de *ſe*, in locum nuper defuncti *Decani S. Petri Middelburgenſis, electo*, tota *Imperatoris Aula* obſiſtente; de ſe, filium *Domini* de *Beveris* inſtituente, et cum eo *Louanium* migrante; de ſibi collato a D. de *Beueris* Sacerdotio in *Brouwerſhaven;* de *Dorpio*, *Eraſmo*, eiusque ſcriptis, litteris, etc.

S. P. D. Si vales, optime praeceptor, eſt quod vehementer gaudeam, et vna mecum ſtudioſorum millia tui amantiſſimorum. Ego

18) Decanatum Verienſem. Conf. adnot. 16. et 9.

19) Conf. adnot. 11. et 36.

20) *Iacobi Batti*, quem Eraſmus *Battum*

Ego quidem ſatis recte diuino munere ſuperſtiti intermiſi tibi meis litteris obſtrepere; idque nulla alia magis de cauſſa, quam ne te, frugiferis toti orbi laboribus oppreſſum, importunius interpellarem, aut interturbarem, id quod ſatis coniicio a compluribus officioſioribus quotidie fieri. Verum ne perpetuum ſilentium meum ingrati hominis putetur indicium, ſtatui nunc vel paucis tecum agere, vt epiſtola haec me ab ingratitudinis ac obliuionis ſuſpicione vindicaret, et eius tamen breuitas tibi non eſſet moleſta. Non auſim autem nunc, promiſſam abhinc triennium concionandi rationem exigere, quia te video vndique tam multis tamque dentatis inuectiuis et annotationibus appeti, vt etiam ſuſceptos prius ſanctiſſimos ac grauiſſimos caſtigandi et ſcribendi labores intermittere cogaris. Pauciſſimis autem accipe mearum rerum ſtatum. Ego hactenus vixi in Sacerdotio meo Verienſi, [21]) ſed anno ſuperiori in locum defuncti Decani S. Petri Middelburgenſis, [22]) omnium collegarum ſuffragiis, ſum electus, renitens propemodum et inuitus, niſi quod illius Sacerdotii conditio, iuſtis de cauſſis, meo animo magis arrideret. Eam electionem proſecutus, totam Imperatoris Aulam [23]) mihi expertus ſum obſiſtentem, ob priuilegium, vti dicebatur, quoddam, quo illi liceat non Abbates modo, ſed Decanos quoque et Praepoſitos, vacantibus locis ſufficere. Itaque inde paulo negotio, quum nemo patrocinaretur, ne Maecenas quidem meus, [24]) qui me dimittere nollet, niſi eatenus, vt votum quondam penſionis

Battum ſuum vocat in variis epiſtolis, et Secretarium oppidi Bergenſis, virum apprime doctum, in ep. 393. Append. p. 1779. Huius *Batti alumnum* adpellat Eraſmus in ep. 37. Pariſ. A. 1498. p. 38. *Adolphum Verienſem*, cui idem alibi *Principis Veriani* titulum tribuit. Conf. adnot. 36.

21) Vid. adnot. 16. et 9.

22) Vid. adnot. 2.

23) Aulam Belgicam, cui praefuit ab anno 1513. — 1530. *Margaretha Auſtriaca*, Maximiliani I. Imperatoris filia, Caroli V. Imp. amita.

24) *Adolphus Verianus.* Conf. adnot. II. 20. 36.

ſionis annuae conſequerer. Ea itaque ſpe deturbatus, Veriae [25]) me continui, coepique obire demum munus litteratoris, filiolum Domini de Beueris *) inſtituturus; et ecce, quorundam conſilio, propter infirmam admodum valetudinem, Louanium mittitur, non litterarum cauſſa, quas vbiuis diſceret, ſed coeli, quod habetur ſaluberrimum. Huc itaque migrauimus ſub finem menſis Septembris. Vicini ſumus proximi Dorpio, [26]) e regione aedium illius habitantes. Verſor, quoad licet per docendi occupationes, in tuis ſanctiſſimis Sacrae Scripturae elucidationibus, aliisque ſacris Scriptoribus euoluendis. Contulit mihi nuperrime D. de Beueris Sacerdotium illud, quod poſſidebat M. Nicolaus a Burgundia, Praepoſitus Traiectenſis, dictum Brouwerſhaven, [27]) et contulit abſenti, neque me ipſo, neque alio quoquam meo nomine ambiente, repulſis pluribus eius Sacerdotii competitoribus, vt illi tanto ſim adſtrictior, quanto eſt in me beneficentior. Si quid ad Dorpium [28]) aliosue amicos ſcripſeris, ſalutem aliquam; ſi aliud non poteris, veteri amico, tui obſeruantiſſimo, adſcribito. Bene vale, optime ac doctiſſime Eraſme, et, quod facis tot iam annos ſumma cum laude tua, ſed longe maiori Chriſtianae Religionis fructu, inſolitum vitae decus, ſtrenue perge facere. Iſtud eſt vere euangelicum, de inuitis etiam maleuolis et maledicis ac perſecutoribus optime mereri. Precor tibi vitam longaeuam et valetudinem proſperrimam; idque non tam tua cauſſa, quanquam tua quoque, ſed optimarum ac ſacrarum litterarum, quibus tu iuuandis totam vitam impendis,

25) Vid. adnot. 9.

*) Vid. adnot. 36.

26) *Martino Dorpio*, Theologo Louanienſi, anno 1525. mortuo, de cuius rebus et ſcriptis vid. Eraſmi epiſtolae Tomo III. Opp. editae, Andreae bibliotheca belgica, Sweertii Athenae belg. etc.

27) *Brouwerſhaven* eſt oppidum Zeelandiae Batauorum, in Scaldia (Schouwen) inſula ſitum.

28) De *Dorpio* vid. adnot 26.

pendis, nulla ſpe praemii allectus, niſi quod a Chriſto ſit conferendum. Optime vale, idque in plurimos annos. Ex Louanio, nono Menſis Decembris, 1522.

Tuus Ioannes Borſalus.

Eloquentiſſimo ac doctiſſimo huius aetatis Theologo, Eraſmo Roterodamo, Praeceptori plurimum obſeruando et colendo,

Baſileae.

In *altera*, ſcripta *Louanii*, III. Idus Mart., i. e. die 13. Menſis *Martii*, A. 1527., (v. Index h. a. n. 3.) dicit de *ſe* et *Eraſmo*, *Lutheranorum* et *Antilutheranorum conuiciis* ac ſcriptis *quotidie reſpondere coacto;* de *rebus ſuis;* de *noua Epiſtolarum Eraſmi editione*, et epiſtolis in ordinem meliorem redigendis; de ſe *Louanii* viuente, cum *filio Domini* de *Beueris* primogenito, etc.

S. P. D. Longo iam temporis interuallo nihil prorſus ad te ſcripſi, Praeceptor praeter caeteros obſeruande, nec tamen interea vel minus fui memor tui tuorumque in me meritorum, nec deſii te in libris, quos plurimos et optimos vtiliſſimosque ſcripſiſti, docentem ac diſſerentem audire. Verum cur minus ſcripſerim, vt alias omittam cauſſas, haec fuit non omnino leuis aut contemnenda, quod putârim parum officioſum fore, ſi tibi iam ſeni, tot vigiliis ſtudiisque ac laboribus plurimorum annorum propemodum confecto, nugatoriis litteris obſtreperem, res tam ſerias ſanctasque ſemper tractanti, et Lutheranorum, vt video, et Antilutheranorum quoque conuiciis ac ſcriptis quotidie reſpondere coacto. Quandoquidem tamen comperi, te vel amici cuiuspiam litteris permotum, vel narratione, neſcio cuius, perſuaſum habuiſſe, quod aeſtate ſuperiori e vita migraſſem, morbo oppreſſus; quo

certe-

certe tum laborabam, tam et graui, et diuturno, vt non procul abfuerit, quin corpusculum hoc, iam suis officiis naturalibus destitutum, etiam animus habitator reliquerit. Duxi nunc vel paucis tecum agere, vt tibi primum significarem, illi me morbo etiamnum diuino munere esse superstitem, deinde tibi gratias agerem, quas certe ago ex animo maximas, quod tam honorifice ad Barlandum [29]) nostrum de me, iam (vt arbitrabare) extincto, scripseris. Praeter haec autem est aliud quiddam tertium, minutum quidem illud, vt tibi fortasse videbitur, sed meo iudicio neutiquam contemnendum, id est huiusmodi. Est in manibus omnium opus insigne atque egregium Epistolarum tuarum, quod audio edendum abs te denuo, sed longe auctius, id quod facile datur coniicere. In qua editione, velim, nisi fortasse serus admonitor fuero, ordinem seruari in libro, qui fuit in scriptis abs te epistolis, annorum dico, mensium, atque etiam, si fieri commode contingat, dierum; quod quidem video a nonnullis superstitiose obseruatum in epistolis admodum familiaribus, neque magni omnino ponderis aut momenti, a te autem plane neglectum in editione, quam adhuc videre licuit, vbi primum omnino locum occupant complures nuper scriptae ad amicos, medium non paucae olim ad studiorum socios aliosque transmissae. Persuadeo mihi, hunc ordinem cum ad te, tum ad lectorem ipsum, magnopere attinere. Nam primum quidem ex epistolis, hoc ordine digestis, elucebit vitae tuae, et studiorum, ac conatuum omnium, series quaedam. Inde temporum, quibus

29) De *Adriano Barlando*, Philologo et Historico, Louanii, post Borsalum, ab a. 1518. Professore linguae Latinae, in Collegio Trilingui Buslidiano, dein ab a. 1526. ibidem Professore Eloquentiae, circa a. 1542. mortuo, (cui nomen fuit ab oppido Zeelandiae Batauorum, *Barland*, seu *Baarland*, vt vocant;) et de eius rebus scriptisque, vid. Erasmi epistolae, T. III. Opp. editae, Andreae biblioth. belg., Miraei elogia illustrium Belgii scriptorum, Sweertii Athenae belg. etc.

quibus res, de quibus ſcribis, geſtae ſunt, et familiaritatis, quae tibi fuit cum praecipuis Chriſtianae religionis Proceribus, et contentionis, qua coactus es cum non paucis decertare inuitus. Omnium, inquam, harum rerum, atque etiam aliarum, tradetur ſcriptori quidam veluti catalogus, qui ſat ſcio omnibus erit longe gratiſſimus. Non feres aegre, quod hac de re te commonefacerem, et, ſi integrum ſit, mihi hoc obſeruanti melius obtemperabis, quam feciſti ante annos octo, quum, de ratione concionandi vt ſcriberes, commonerem. Ego viuo iam Louanii, apud M, Robertum Virulum, vna cum primogenito, vt nuper, Domini de Beueris,[30]) abſui tamen, poſtquam primum ante quadriennium huc commigraſſemus, ſeſquiannum. Optime vale. Louanii, tertio Idus Martias, 1527.

Ioannes Borſalus, Decanus Zandenburgenſis,
tui amantiſſimus.

Eximio Theologo, D. Eraſmo Roterodamo, omnis eruditionis Antiſtiti, Praeceptori praeter caeteros obſeruando,
Baſileae.

In *tertia*, data *Louan.* V. Idus Auguſtas, i. e. die 9 menſis *Auguſti*, A. 1527., (v. Index h. a. n. 14.) loquitur de *Eraſmi epiſtola* quadam, et de *Dorpii* ad Eraſmum litteris; de *quopiam*, *Dorpio* praeſente, *horam totam deblaterante in Eraſmum*; de *ſe* nunquam non *Eraſmum amaturo* et culturo; de *nouo ordine epiſtolarum* Eraſmi, proxime edendarum; de nondum edita *concionandi ratione;* de *rebus ſuis*, etc.

S. P. D. Longe gratiſſima fuit mihi, Praeceptor eruditiſſime, tua epiſtola,[31]) tametſi laconica, qualem ſcilicet ſinebant te ſcribere

30 Vid. adnot. 36.

31) Periiſſe videtur haec epiſtola; ſed aliâ laconicâ reſpondit *Eraſmus* ad haſce *Borſali* litteras, Baſil. 24. Aug. A. 1527. ep. 883. p. 1007.

ſcribere occupationes iſtae in rebus ſeriis aſſiduae. Significabat enim, et recte valere te, et memorem eſſe veteris amiculi, etiam totum iam triennium ſilentium agentis perpetuum, quique, ſe magis iuſtam commeruiſſe obiurgationem, quam tam amicas tamque blandas litteras, ipſe ſecum agnoſcit. Verum quod ſuſpicabare, noſtram amicitiam, immo meum in te amorem et obſervantiam refrixiſſe, quia acceperis e Dorpii [32]) litteris, illo praeſente quempiam in te horam totam deblateraſſe, vt me a ſtudio tui auerteret, id vero male me habet, quod tibi perſuaſeris, me, qualemqualem tuum clientulum ac diſcipulum, blateronis cuiuspiam tam breui obtrectatione eo perduci ac perpelli potuiſſe, vt te, ſic de me meritum, nec de me ſolum, verum de bonis litteris, quarum ſum fuique ſemper amantiſſimus, praeterea de chriſtiana religione omnibusque ſacrarum litterarum ſtudioſis, inter quos me quoque adnumerari deſidero; vt Eraſmum, inquam, ſic de omnibus meritum, vt nulli non debeat eſſe chariſſimus, ipſe omnium qui viuunt, ſi id faciam, ingratiſſimus, amare, colere et obſervare deſinam, quem ne Demoſthenis quidem aut Ciceronis violentiſſimae et efficaciſſimae orationes, etiamſi in vnum conferantur et conflentur vniuerſae, de minimo in te amoris gradu depulerint. Quid enim minus fuerit hominis, quam non amare me, et quidem vehementiſſime, eum, cuius iam perpetuos annos plus viginti fruor beneficiis, tanto quidem labore, tanta obtrectatorum inuidia, vltro tamen et gratis exhibitis? Perſuadeas itaque tibi, mi Eraſme, nullo vnquam tempore commiſſurum me, vt te amare deſinam. Sed haec hactenus verboſe magis ac maiore affectu, quam ſermonis politie. Caeterum habeo gratiam, quod polliceris, facturum te, quod monui, epiſtolas nimirum tuas, quae plurimae ſunt, et

 de

32) Vid. adnot. 26. *Dorpii* litterae, de quibus loquitur Eraſmus, non exſtant editae.

de rebus diuerſiſſimis, in eum ordinem redacturum, quo olim pridem ac nuper ſcriptae ſunt abs te. At id te oro, vt pergam, poſtquam ſemel coepi, impudenter agere, ne, quod nunc pollicere, tanto differas tempore praeſtare, quanto differs, quod abhinc annos octo de concionandi ratione es pollicitus, quod ne nunc quidem, quod ſciam, praeſtitiſti. Viuo nunc, vt ſcis, Louanii, manſurus, vt videtur, cum primogenito D. de Beueris,[33]) proximum hoc biennium. Si quando vacabit, quaeſo, vt Borſali, quatenus licebit, ſubinde memineris, ſiue ad amicos ſcribens, quos hic plurimos habes, ſiue ad me ipſum, quod tamen exigere non audeo. Bene vale, Praeceptor vnice obſeruande. Louanii, quinto Idus Auguſtas, 1527.

Ioannes Borſálus,
clientulus tui obſeruantiſſimus.

Eraſmo Roterodamo, eruditionis omnis ſacrae profanaeque facile Antiſtiti, Praeceptori vnice obſeruando,
Baſileae.

In *quarta* epiſtola, ſcripta *Louanii*, poſtridie Nonas Novembres, i. e. die 6. menſis *Nouembris*, A. 1527., (v. Index h. a. n. 18.) dicit Borſalus de *Eraſmi epiſtola* ad ſe miſſa; de eiusdem ad *Maximilianum à Burgundia* litteris interceptis, aut amiſſis; de *Maximiliani* huius *patre;* de *ſe eum inſtituente;* de eodem in *Aulam Cardinalis Leodienſis* commigraturo; de *ſe ipſo* in *Zeelandiam* ad Sacerdotium ſuum abituro, etc.

S. P. D. Accepi ſuperioribus diebus, Eraſme, Praeceptor vnice obſeruande, tuam ad me epiſtolam,[34]) Antuerpia huc per bibliopolam quempiam transmiſſam, quam tu ante Calendas Septem-

33) Vid. epiſtola Borſali ſequens, et adnot. 36.

34) Epiſtola haec edita legitur T. III. Opp. Eraſmi p. 1007. ep. 883. et ſcripta eſt Baſileae d. 24. Aug. A. 1527.

Septembres isthic scripseras. Fuit ea mihi tanto gratior, quanto exspectata diutius. Hanc autem gratiam auxit non mediocriter, quod inter occupationes tam arduas tamque assiduas non sis dedignatus, Maximiliano â Burgundia, meo in litteris discipulo, scribere. Verum omnem ferme voluptatem, quam pepererat nobis tua ad me epistola, excussit intercepta, aut nescio cuius incuria ac negligentia amissa, ad Maximilianum data. [35]) Vix credas, quam exultauerit puer optimus, vbi ex meis litteris comperisset, ad se quoque datas abs te litteras, suspicatus nimirum, haesisse eas in acervo litterarum ad alios promiscue missarum. At vbi sua spe esset frustratus, vix lacrimas continere potuit, certe nullo non die deplorat suam infelicitatem. Non ausim iterum tam impudenter abs te petere huiusmodi officium, sed gratias ago tibi pro impenso semel tam humili obsequio. Verum quia significas, te non satis esse certum, sitne hic Adolphi Principis Veriani filius, paucis accipe. Est hic Maximilianus, puer annos iam natus tredecim, D. Adolphi a Burgundia, Domini de Beueris, [36]) filius primogenitus, optima profecto indole et spe summa. Quintum iam annum illi instituendo praesum, at ante huius anni finem in Aulam commigrabit Cardina-

35) Exstat haec Erasmi ad *Maximilianum* â *Burgundia* epistola, scripta Basileae, d. 23. Aug. A. 1527., ibid. p. 897. sequ. ep. 881. Ad eumdem scripsit *Erasmus* Basil. d. 4. Ianuar. A. 1528. et Friburgo Brisgoae d. 23. Iulii A. 1529. Vid. p. 1058. ep. 926. et p. 1222. ep. 1068.

36) Ex Erasmi ad *Maximilianum* â *Burgundia*, Borsali alumnum, epistolis, (conf. adnot. 35.) cum hac *Borsali* ad Erasmum epistola collatis, adparet, D. *Adolphum* â Burgundia, *Dominum de Beueris*, Maximiliani patrem, *Borsali* patronum, et Erasmi *Principem Verianum*, seu *Veriensem*, fuisse vnam eamdemque personam. In gratiam vero *Maximiliani* â *Burgundia*, de quo loquitur *Borsalus* in epistolis suis, et quem *Domini de Beueris* filium primogenitum vocat, anno 1555. Carolus V. Imp. liberas Dynastias Veriensem et Vlissingensem iussit esse Marchionatum, quem anno 1581. Guilielmus I. Princeps Arausionensis sibi et familiae suae aere comparauit.

Cardinalis Leodienſis; [37]) atque ego tum ad Sacerdotium meum in Zelandiam [38]) me recipiam, ſemper, dum viuam, tui et amantiſſimus futurus, et obſeruantiſſimus. Bene vale, Eraſme doctiſſime, et mei quoque ſubinde quaeſo vt velis meminiſſe. Louanii, poſtridie Nonas Nouembres, 1527.

Ioannes Borſalus,
tui amantiſſimus clientulus.

Eraſmo Roterodamo, Viro vndecunque doctiſſimo, Praeceptori vnice ſemper obſeruando,
Baſileae.

ANTONII BIRCII,

Canonici et Scholaſtici Beſontini, [1]) Epiſtola
A. 1529. ad Eraſmum data,
ex Autogr.

Nulla quidem mentio fit nominis huius *Antonii Bircii* in Eraſmi Operibus, nec vlla eius edita exſtat epiſtola. At p. 1181. legitur *Eraſmi* epiſtola 1037. inſcripta: *Eraſmus Roterodamus Scholaſteri Beſontino S. D.* et data *Baſil. I. Aprilis, Anno 1529.* Facile patebit lectori cuiuis, Eraſmum hanc epiſtolam ſponte ſua dediſſe ad *Antonium Bircium* noſtrum, nomine ſibi adhuc ignotum, quum audiuiſſet, eum ſibi litterisque

37) *Erhardi*, filii Roberti, Principis Cliuiae, Marcae et Arembergae, Epiſcopi Leodienſis ab anno 1506. — 1538., cui dignitatem Cardinalis Eccl. Rom. comparauit Carolus V. Imp.

38) Fuit Borſalus in *Zeelandia* Batauorum Canonicus et electus Decanus Middelburgenſis, Decanus Verienſis et Zandenburgenſis, habuit quoque ſacerdotium quoddam Brouwershavenſe. De *Middelburgo* vid. adnot. 2. De *Veria* adnot. 9. De *Brouwershaven* adnot. 27. *Zandelurgum* vero, ſeu *Zandenburgum*, ſitum fuiſſe videtur non procul ab vrbe *Veria*, vbi ſuperſunt reliquiae arcis *Zandberg*, ſeu *Zandburg*, cui adiacet Dynaſtia, quam *Zandyk* vocant Batavi.

1) Vid. adnot. 7.

terisque admodum fauere; [2]) BIRCIVM vero respondisse *Erasmo* per eam, quae nunc primum tandem ex Autogr. in lucem prodit, et quae data est *ex Bisuntio*, die 12. *Aprilis*, Anno 1529. (v. Index h. a. n. 14.)

S. Recepi, Vir omnium Doctissime, litteras, [3]) cum libello, [4]) quas tua immensa humanitate ad me misisti, [5]) ex quibus te (et laudis et virtutis praecepta amplexans) summa laude dignum teneo. Otium tanquam rem perniciosissimam deiiciens, hos virtutis alumnos esse reor, qui beatissimas scripturas, quas praeteritis studiis summis laboribus memoria tenent, reuoluunt; de quorum numero te esse, non a paucis diebus, sed longo diu tempore, cognoui. Ex his etiam facile perpendo, quanto animi vigore illos antecellis, qui inerti otio torpescunt; quorum hominum genus futile, obscoenum, ac ferarum more, desidiae, negligentiae ac torpori se facile accommodat. Persuadent enim tales, se ad otium, non vero negotium, natos. Hi virtutis se infestissimos hostes declarant. Nam otii seruus virtutis esse non potest alumnus, tanquam studio et industriae contrarium. De Codice etiam, ad me misso, [6]) ne vitio ingrati-

tudinis

2) „*Nec erat opportunitas*, (verba „sunt Erasmi) *nec argumentum ad te* „*scribendi*, *vir clarissime*, *nisi quod*, „*quum ex amicorum litteris cognouis-* „*sem*, *te*, *vt es ipse litteratissimus*, „*honestissimis studiis humanissimum* „*quendam et benignissimum praestare* „*Maecenatem*, *mei officii ratus sum stu-* „*diorum nomine gratias agere primum*, „*deinde etiam meo*, *quod pro tuo can-* „*dore de Erasmo sentias amantius*, „*quam pro ipsius meritis.* Reliqua.

3) Vid. Erasmi Opp. T. III. p. 1181. epist. 1037. cuius initium exhibuimus in adnot. 2.

4) Ex litteris, quas eodem die I. Aprilis A. 1529. Basil. dedit Erasmus ad Leonardum, Officialem Besontinum, (vid. Erasmi Opp. T. III. p. 1181. ep. 1036.) per quem et *Bircio* misisse videtur litteras, de quibus diximus, colligi facile potest, *libellum* hunc, quem *Bircius* etiam *Codicem* vocat, fuisse *Senecam*, ab Erasmo editum.

5) Vid. adnot. 4.

6) Conf. adnot. 4.

tudinis arguar, tibi ingentes habeo gratias, et tibi perſuaſum eſſe peto, et tibi ſuggeras, mihi nil gratius accidere poſſe, quam tuis voluntatibus ſeu praeceptis, dummodo liceat et facultas detur, morem gerere, aut animo tuo gratificari. Velim etiam me ſemper in numero tuorum amicorum connumerare digneris. Vale, omnium conſummatiſſime. Altiſſimus vota tua compleat. Ex Biſuntio, 7) die 12. Aprilis, 1529.

Tuus (ſi ſuus eſt)

Anthonius Bircius, Canonicus et Scholaſticus Biſuntinus.

Eraſmo Roterodamo, Eloquentiae noſtrae aetatis ferme Principi, ac Domino ſuo colendo.

(*Sigillum integrum.*)

HIERONYMI RICII,

Praepoſiti Tridentini, Epiſtola A. 1529. ad Eraſmum data, ex Autogr.

Vnica *Eraſmi* ad hunc Virum edita exſtat epiſtola, T. III. Opp. p. 1187. ep. 1045. data Friburgo, 21. April. A. 1529., qua reſpondit ad *Ricii* epiſtolam, quae iam ex Autogr. publicatur. Caeterum nulla *Ricii* fit mentio in Operibus Eraſmi.

Vnica, quae exſtat, HIERONYMI RICII ad *Eraſmum* epiſtola, nunc tandem in lucem prodiens, (v. Index A. 1529. n. 9.) data eſt *ex Lincio*, d. 23. *Martii*, A. 1529., et *maxima de Eraſmo* continet, cuius vel vnicam epiſtolam exoptat Ricius.

Nolim, Eraſme feliciſſime, impudentem me exiſtimes, quod Te, diuinum hominem, quem vniuerſus celebrat orbis, quem non modo mortales venerantur omnes, ſed et ipſi demirantur Superi puſillus

7) *Biſuntium*, *Beſontium*, *Veſontio*, gall. *Beſançon*, germ. *Biſanz*, eſt vrbs praecipua *Comitatus Burgundiae*, gall. *Franche-Comté*. Erat illo tempore haec vrbs et regio in ditione Caeſaris, Caroli V.

pusillus ego et indoctus homuncio, nulla tibi familiaritate iunctus, insulso rudique hoc epistolio adire non erubuerim. Fretus sum enim tua ingenti mansuetudine, suauitateque incomparabili, quippe quae omnium volitat per ora virorum, et summis vbique decantatur praeconiis; litterasque has, mihi ad te datas, [1]) sine mea manu destinare, absurdum duxi. Quinimo diem hunc lucro ponam, et margarita signabo, quo mihi diu multumque optata, ad te scribendi, occasio diuinitus oblata est, [2]) neque equidem vel gratius quicquam, vel fortunatius afferri potuisset. Quodsi tu vicissim me vel vnica tua dignabere epistola, [3]) in coelo esse videbor. Bene vale. Ex Lincio, [4]) 23. Martii, 1529.

D. M. D. [5])

Celeberrimae D. T.

vti filius obsequentissimus, Hieronymus Ricius, Praepositus Tridentinus, [6]) phycus [7]) regius [8])

Ad has RICII litteras respondit Erasmus (vid. adnot. 3.) his paucis verbis: „*Erasmus Rot. Hieronymo Ricio S. D. Quod me supra modum attollis, amori in me tuo, parum, vt videtur, sobrio,*

1) Exstant Tomo III. Opp. Erasmi p. 1142. sequ. ep. 1009. eius ad *Ferdinandum Regem*, Caroli V. Imp. fratrem, litterae, datae Basil d. 27. Ianuarii, A. 1529, quibus Regi gratulatus fuerat Erasmus *Pannoniorum*, seu Hungarorum, et *Bohemorum* regna in ditionem suam redacta. Videtur *Ricius* litteras, quibus respondit Rex, iussu eius, ad Erasmum misisse, vnà cum sua hac epistola. Conf. adnot. 4. 5. 8.

2) Conf. quae diximus in adnot. 1.

3) Vid. T. III. Opp. Er. p. 1187. ep. 1045. Friburgo, 21. April. 1529.

4) *Lincium*, germ. *Linz*, est vrbs primaria Austriae superioris, cuius et totius Austriae dominus erat Rex *Ferdinandus*, qui saepius *Lincii* commoratus est.

5) *De Mandato Domini*, (Ferdinandi Regis,) vt videtur.

6) *Tridentum*, vulgo *Trient* et *Trident*, ital. *Trento*, est vrbs episcopalis Comitatus Tirolensis, notissima propter Concilium Tridentinum. Etiam haec vrbs, vna cum Comitatu Tirolensi, erat in ditione Ferdinandi Regis.

7) *Physicus*, vt videtur.

8) *Ferdinandi*, Regis Hungariae et Bohemiae, posthac etiam ab anno 1531. Romanorum Regis, tandem ab a. 1556. vsque ad mortem a. 1564. Imperatoris.

„*sobrio, facile condono. Quod te ipsum plus aequo deiicis, singu-*
„*larem tuam modestiam non possum non amare, Rici charissime.*
„*Nec est, quod hic humanitatem meam mansuetudinemque prae-*
„*dices, quum inhumanissimus futurus sim, si doctum hominem,*
„*eumque litteris ad amicitiam prouocantem, non amplectar. Ego*
„*me inter doctos viros non annumero, sed tamen eruditione prae-*
„*ditos semper et amaui, et veneratus sum, praesertim si accesserit*
„*humanitatis et probitatis commendatio, quorum vtrumque nobis*
„*arguunt tuae litterae. Bene vale. Datum Friburgo, 21. Apri-*
„*lis, Anno 1529.*" 9)

Indicimus Vobis nunc, Ciues optimi, Sacrorum Paschalium Sollemnia, proximo die XXVII. Mensis Martii pie ac religiose celebranda. Orationem anniuersariam in Aede Academica hora XII. inter Sacra Eucharistica habebit Nobilissimus CAROLVS FRIDERICVS GROSSMANNVS, Leitersdorfio - Silesius, quem diligentia et modestia morumque probitas omnibus commendare videntur, dicturus de *memoria resurrectionis Iesu Christi rite celebranda.* Ad quam Orationem audiendam vt frequentes confluatis, SERENISSIME PRINCEPS, ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQVE REIPVBLICAE PATRES AC PROCERES GRAVISSIMI, COMMILITONES GENEROSISSIMI, NOBILISSIMI, CARISSIMI, magnopere rogamus atque etiam hortamur. P. P. Domin. Palmarum, A. R. S. cIↃIↃCCXCVI.

9) In his ad *Ricium* litteris quod nulla fit mentio litterarum, per *Ricium* ad *Erasmum* missarum, id non aduersatur coniecturae nostrae in adnot. I. Inanes enim et vacuae erant litterae; nec nominauerat *Ricius* quemquam, a quo, aut cuius nomine iussuque, sibi datae essent illae litterae ad Erasmum.

EX OFFICINA KLAVBARTHIA